

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XVII

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

CHRISTIANO LANGIO

Luccaviensi Lusato.

In Feria III. Pentecostes.

A. O. R. cl. Id. III.

HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris

Oelschlegell.

11
Im Unzer

CHRISTIANUS GERHARDUS
Gymnasii Halensis
Receptor
CHRISTIANUS LANGIO
Receptor
HALLEN GYMNASII
Vice-Receptor





ANALYSIS
EVANGELII
IN FERIA III. PENTE-
COSTES.

Joh. 10. à vers. 1. usq. ad 12.

Πεγοίμιον.

Digitur Apocal. 21, 25: Porta
ejus non claudentur per diem;
nox autem illic non erit. Ecclesi-
am quidem triumphantem de-
scribit, sed & militantem quodammodo de-
pingit; quomodo omni tempore aditus pateat
ad eandem, & sit janitor ejus vigilantissimus,
qui etiam diligentissimus denotatur, qualis in
Evangelio Spiritus Sanctus.

THESIS I.

In quo partim proponitur, partim ex-
ponitur. Proponitur tùm directè de malis
pastoribus, ubi eorundem est illegitima ac-
cessio-

Ff

cessio-



cessionis ratio v. i. In quo tūc causa, quæ præmittit asseverationem, quoad modum: Amen, amen. *Dicturus quippe erat Christus de honestissimo Pastorum Ecclesiæ officio. Ideoq; ut cognoscatur, quale esse debeat, iuramento quasi obtestatur eos, ut credant, & attentionem adhibeant, cum non de re levi, sed maximè seriâ & arduâ sit acturus. Ut discamus auditores excitare, ubi res graves sunt proponendæ.*

2. Quoad objectum: Dico vobis. *Non tantum discipulis suis, verum etiam Pharisæis, ut qui erant ipsi infensi partim propter predicationem Evangelii, partim propter divina miracula. Ut discamus rationem habere presentium auditorum, & circumstantiarum in docendo.*

3. Tūc materia, quæ exponitur, quoad subjectum per negationem: qui non intrat per ostium in stabulum ovium. *Per intrare intelligitur accedere & venire. Idq; fit per baptismum, unde & gratiæ porta, & primus sanctorum introitus vocatur, secundum Augustin. 2. per pœnitentiam, quam iubemur agere, Marc. 1, 5. 3. per precum frequentiam; ut enim Iudeorum vulgus orabat & exaudiebatur sub ostio tabernaculi, ita etiam per Christum*

stium nobis ad patrem accessus, patet Rom. 5, 2.
 Joh. 16, 23. Deniq; per mortem, nam ipse est
 scala cœli, Joh. 1, 51. Et tandem nos immittit in
 cœlestem paradysum Joh. 14, 6. Per ostium igi-
 tur intelligitur ipse Christus, uti ipse interpre-
 tatur, v. 8. & 9. Dicitur autem ostium ob cœli
 refectionem, quia nobis cœli januam aperuit,
 ut nunc accessum habeamus, Joh. 1, v. ult. Nec
 enim est in alio salus, Act. 4, 12. 2. ob Evan-
 gelii revelationem, dum per Christum, Deum
 cognoscimus, ejusq; voluntatem discimus, Joh.
 1, 18. 3. ob Ecclesie protectionem, ut quemad-
 modum ostium occlusum defendit à furibus;
 sic nos Christus sustentat & tuetur, Psalm. 3, 6.
 4. ob comparationem, quemadmodum enim
 in ostio tabernaculi mactabantur omnia sacri-
 ficia, Lev. 17, 9. ita Christus ostium est: Et cum
 bis dicatur ostium, utriusq; Testamenti intelli-
 gitur. Ut discamus ipsum custodire introitum
 & exitum nostrum, Psalm. 120, 8. Et nos in cœ-
 lestem paradysum immittere, Joh. 14, 6. Per
 stabulum verò seu ovile intelligitur Ecclesia,
 qua ita appellatur ob stylum propheticum,
 Mich. 2, 12. Habac. 4, 17. 2. ob gregem diver-
 sum, continet enim oves & hædos, Matth. 25,
 33. bonos & malos, ibidem. 3. ob locum vari-
 um, uti enim mandra transferuntur, ita etiam

non habemus hic manentem civitatem, Ebr. 13, 14. Ut discamus non esse speciosam quoad externam apparentiam, licet quoad suam essentiam, est enim grex pusillus, Luc. 17, 22. est populus abjectus & contemptus, Sophon. 3, 12. gloria tamen eius ab intus, Psal. 45, 14.

4. Per affirmationem: sed ascendit aliundè. *Id est, vel effodit domum, uti spiritalis quidam, qui per munera sese obtrudunt, quemadmodum Simon magus, Actor. 8, 18. 2. Vel à latere eruit postes, qui per hereditatem & amicitiam indigno conferunt beneficia, de quibus Mich. 2, 1. va qui edificatis Sion in sanguinibus. 3. Vel desuper irruit, ut sunt qui per potentiam intrant, uti Osias, 2. Paral. 26, 16. Ut discamus intrare per rectam ianuam.*

5. Quoad prædicatum, tum respectu clancularii: ille fur est. *Qui furtum accedit & intrat Ecclesiam. Ut discamus vocationem esse expectandam.*

6. Respectu publici: & latro. *Dum ut ille clam intrat, ita hic clam violentiam adhibet. Ut discamus vocem malorum Doctorum Ecclesie esse illegitimam vocationem.*

7. Tum de bonis pastoribus, ubi eorum legitima officii occupatio v. 2. in quo subjectum: is verò qui intrat ostium. *Hoc est,*

est, per Christum Jesum, ut qui solus est nostre salutis autor, Act. 4, 12. solus etiam nostre salutis promotor, dum ipse via, Joh. 14, 6. dum solus nobis paravit locum, ibid. v. 2. Ut discamus Jesum respicere in nostre salutis negotio.

8. Et prædicatum: Pastor est ovium. Hoc est, legitimus doctor, qui pascit auditores suo verbo; unde & pastores vocantur, cum ipse etiam sit pastor bonus, quo populus Domini carere non potest, Num. 26, 16. 1. Petr. 2, 15. Ut discamus eos esse veros pastores, qui legitime sunt vocati.

9. Tum indirectè de ovibus respectu pastoris boni est auscultatio v. 3. in quo de pastore quoad ostiarium: huic ostiarius aperit. Ubi, quemadmodum pulchrè monet Augustinus tract. 46. in Joh. præter morem & consuetudinem, ostium præponitur ostiario, respectu nimirum medi: est enim ostiarius non alius, quàm Spiritus S. ut qui omnia munia solet peragere ostiarii. Nō discedit ostiarius ab ostio; ita Christus & Spiritus S. separari nequeunt. Nemo enim dicere potest Dominum Jesum, nisi in Spiritu S. ait Paulus 1. Corinth. 12, 3. Ostiarius ungit ianuam, Spiritus S. præ consortibus Christum, Esa. 61, 1. Psalm. 45, 8. & Christi Apostolos, qui locuti sunt per
 Ef 3 ipsum

ipsum, 2. Petr. I, 21. Ostiarius clavibus instru-
 ctus est; sic Spiritus S. habet verum predi-
 catum, unde Apostolus dicit Ephesis, magnum
 suis concionibus ostium esse apertum, 1. Cor.
 16, 9. De hoc ostiario dicitur quod iperiat; sic
 Spiritus S. intus aperit & docet, qui in caelo
 cathedram habet, inquit Augustin. & aperit
 non omnibus, sed prudentibus, venientibus ad
 ipsum, piis & fidelibus, qui sanctimoniam ha-
 bent, sine qua nemo videt Dominum, Ebr. 12,
 14. Matth. 25, 25. Ut discamus cavere nobis
 ab ostiariis aliis.

10. Et de ovibus, in se: & oves vo-
 cem ejus audiunt. Ut quam cognoscunt, eam
 audiunt: verum non externe, sic enim & canes
 vocem pastoris audiunt, verum interne iti-
 dem, proprie enim hoc audire est obedire. Ut
 discamus omnino necessarium esse, quo ver-
 bum auditum probemus.

11. Et respectivè quoad appellationem:
 & proprias oves vocat nominatim. Quia eas
 probe novit, quemadmodum bonus pater-
 familias agnoscit vultum pecoris sui, Prov.
 27, 23. ita nomina nostra sunt scripta in
 manu Dei, secundum Esaiam 49, 16. Et ipse
 fatetur in hoc ipso cap. v. 29. quod & habet
 Apostolus Paulus Rom. 8, 38. Ut discamus
 Deum

Deum nosse suos, & eorum nomina in manus suas inscripisse.

12. Quoad curam: & ducit eas. Boni enim pastoris est pascere suas oves; ita Christus ipse informat, docet, & ducit per verbum suum. Ut discant aequè pascere gregem suum, qui sunt discipuli Christi, quemadmodum monet Apostolus Petrus, 1. epist. 5, 2. non enim dominari decet & servire, sed curare, Ezech. cap. 34. v. 4.

13. Et obtemperatio v. 4. in quo de conditione pastoris quoad antecedens: & cum proprias oves emiserit. Hoc est, deduxerit in pascua, ut pascat. Idq; fit per informationem, dum deducuntur ad verbum Dei, quemadmodum habetur Psalm. 23, 1. Ut discamus bonum pastorem curare oves.

14. Consequens: & præcedit eas. Sen typus & exemplar fidelium, 1. Timoth. 4, 11. Tit. 2, 7. faciendo ea, quæ docet. Non enim sufficit, ovis bene dicere, sed requiritur & facere, quia bene docere & malè vivere est se ipsum condemnare, habet Augustinus & Gregorius. Cùm pastor per abrupta graditur, necesse est ut grex ad precipitium sequatur. Ut discamus non dicendo, sed faciendo probari fidem.

15. De conditione ovium, per positionem: & oves illum sequuntur. Hoc est, obediunt verbo Dei, illud credendo, & secundum illud sanctè vivendo. Ut certa nota sit ovis & electi, verbū Dei audire, & illud sequi.

16. Et per rationem: Quia noverunt vocem ejus. Ovis ergò illa propria, quæ novit pastoris sui vocem, & ita ut maneat. Jam facile est audire verbum, habet Augustin, tract. 45. in Johan. at perseverare in finem, hoc est ovium in verbum credentium. Quare vos hortor, dilectissimi, inquit Chrysostr. sub pastoris nostri custodia in pascuis maneamus; manebimus autem, si vocem ejus audierimus, si ei parebimus.

17. Respectu pastoris alieni, cujus est vitatio v. 5. in quo per remotionem; Alienum autem non sequuntur. Alienus autem ille, qui vocem Christi non audit: ideoq; bonus pastor non est. Ut discamus auditoris esse officium, suum audire, & alienum vitare pastorem.

18. Et per positionem, quoad propositionem: sed fugiunt ab eo. Hoc est, rejiciunt & improbant. Et rectè: nam propheta si habet somniū, si habet sermonē Domini loquatur eum, habet Jer. 23, 28. Ut discamus vitare alienos, & non legitimos.

19. Et

19. Et per rationem: quia non venerunt vocem alienorum. *Hoc est, non admittunt eum, qui non loquitur eloquia Dei, uti habet Petr. I. epist. 4, II. oportet enim fugere falsos doctores. nisi de vita aeterna quis periclitari velit, I. Johan. 4, 1. Ut discamus ignotos ignota docentes fugere.*

20. Partim exponitur conjunctim, ubi est discipulorum ignoratio v. 6. in quo causa: hanc parabolam dixit eis Jesus. *Ut qui libenter per parabolas locutus, propter rationem docendi apud Syros, qui talibus delectati, cum influant in auditorum animos suavius, & retineantur fidelius. Ut discamus communem loquendi morem in docendo observare.*

21. Et effectus accidentalis: illi autem non cognoverunt, quæ loqueretur eis. *Hoc est, non intellexerunt, quidnam significaretur ista parabola; magna enim est cæcitas mentis humanæ: nã animalis homo nõ percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, I. Cor. 2, 14. Et uti aliàs Christi parabolas sive proverbialia nõ assecuti sunt, nisi ipse eis explicaret, ita æquè hic factum. Ut discamus Christum esse fidelem doctorem.*

22. Distinctim de vero ostio in genere affirmativè, ubi ejus denotatio v. 7. in quo attestatio: Jesus ergò rursus eis dixit:

Ff 5

Amen

Amen, Amen dico vobis. *Iterum jurat, ut fidelis credat, ne quis de veritate ambigat.*

23. Et declaratio: ego sum ostium illud ovium. *Ostium inter duos cardines pendens, Vetus scilicet Et Novum Testamentum. Ostium per quod ingredimur, dum per ipsum recipimur, Ioh. 14, 6. dum per ipsum reconciliamur, Rom. 8, 34. in illo solo salus, Act. 4, 12. solus Mediator noster 1. Tim. 2, 5. Ut discamus non querere alios mediatores.*

24. Et negativè, aliorum improbatio v. 8. in quo quoad pastores: quotquot ante me venerunt, fures & latrones sunt. *Nempè profitentes se esse ostium; aut aliud quodvis ostium præter Christum ostendentes, ut ita ante exponendum sit juxta Bedam, pro sine, non qui fuerunt, sed qui venerunt, qui nõ missi sunt; nam qui missi sunt, ut Moses & Prophetae, non ante ipsum, sed cum ipso venerunt. Intelliguntur igitur omnes falsi doctores, qui furantur, hoc est, Deo gloriam, hominibus salutis pascua præripiunt & lucri causa docent. Qui latrocinantur dum perdunt animas erroneâ doctrinâ & perversâ vitâ. Ut discamus illos malos doctores, qui neglectis officii partibus tantùm salaria spectant.*

25. Et quoad oves: sed non ausculta-
runt

runt eos oves. *Propriè nimirum, quæ vocem Christi audiunt. Unde Irenæus testatur veteres Germanos, si quando hæretici ad ipsos venerunt aures obchurasse. Vt discamus observare doctorum propositum, quo possimus cognoscere, qui verus, qui falsus.*

26. In specie simpliciter est per Christum salvatio v.9. in quo assertio: ego sum illud ostium. *Repetit superiorem declarationem & assertionem, ut eo magis confirmet propositum, & demonstret omninò non aliud esse, nisi hoc ipsum. Vt discamus solum Christum esse verum, & verè posse vocari, & haberi illud ostium.*

27. Et declaratio in genere ab effectu, commodo simplici: per me si quis introierit, servabitur. *Hoc est, per Christum solum ingressus patet in Ecclesiam & regnum Dei. Unde Augustin. tract. 45. in Ioh. humilis est janna, Christus Dominus, qui intrat per hanc januam oportet humiliet se, ut sano capite possit intrare. Deponenda ergò est mundana sapientia; deponenda sunt sceptræ mundi; deponenda est peccatorum sarcina; deponenda sunt vini lagene; superbiorum fastus sunt deponendi, solus Christus apprehendendus, tunc servabitur. Vt discamus per Christum solum nobis patere ad cælum aditum.*

28. R. e. t.

28. Reciproco: & ingredietur & egredietur. Secundum phrasin Ebraicam est idem ac prosperè agere in omnibus vite actionibus, uti de Davide usurpatur 1. Reg. 13, 16. dum custoditur introitus & exitus, ut Psalm. 121. v. ult. Idem est ac conversabitur & ambulabit in ovili, prout oves solent ingrediendo habere custodiam, egrediendo alimoniam! Ingre-
dimur verò per Christum, egredimur per doctrinam. Ut discamus operari, non otiosi bonos.

29. In specie: & pascua inveniet. Hoc est, doctrinam verbi divini, quam omnibus hominibus absconditam Christus, prodiens ex sinu patris aeterni, nobis revelavit; & in eo nobis proponit panem vite; proponit etiam aquam vite, uti habetur Psal. 23, 2. Hisce salutaribus pascuis si in hac vita destituimur, in altera pascemur, Ezech. 24, 14. in talibus pascuis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis comprehendere potest. Ut discamus vite aeternæ felicitatem.

30. Et comparatè, est furis & pastoris collatio v. 10. in quo de fure ab effectu: Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet & perdat. In furando depingitur astutia, in mactando violentia: hi sunt falsi doctores, dum lucri causa docent, furantur; dum corporibus non par-

parcunt, mactant; dñ animas pervertunt, perdunt. Ut discamus ab effectib9 cognoscere furē & falsum Doctorem, ut qui sunt lupi rapaces, Matth. 7, 15.

31. De vero pastore: ego veni ut vitam habeant & abundant. In hoc seculo per gratiam, dum ingrediuntur in Ecclesiam; in altero abundantius per gloriam, dum egredientur ex hoc seculo in vitam eternam. Ut discamus sub hoc pastore nobis nihil de futuro, & confiteamur cum Davide, si te habeam Domine, quid ulterius desidero vel in cælo vel super terram? Psalm. 73 25.

N O T A.

I.

Qui non intrat per ostium) Considera per ostium legitime veniendum ad ovile; ut discas alios esse fures, qui alio modo intrant.

II.

Oves sequuntur vocem ostiarii) Considera eas esse oves veras, que audiunt vocem pastoris; ut discas audire, nisi velis haberi ut ovis aliena.

III.

Ego veni vitam dare) Considera Christum propterea verum pastorem, quia vivificat; ut discas, alios, qui trucidant, esse falsos.

C A-

C A S U S.

An licitum per vim occupare regionem?

Afirmativa videtur probanda: 1. quia in Veteri Testamento jussi sunt Israelitae hoc facere, Deuter. 12, 2. ubi habetur: subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, Deos suos.

2. Jura concedunt, ut quodcumque ab hostibus captum, dominio victoris subjiciatur l. naturalem. 5. §. fin. l. adeo quidem. 7. in prin. l. trans fugam. 51. ff. de acquir. R. D.

3. Sic Spartani & Athenienses quoscumque occuparunt omnes sibi subditos fecerunt. Machiavell. lib. 2. dis. c. 6. hoc jure Asiam Alexander tenuit, Curtius in vita Alexandri. Hottomannus q. 5.

Contra: 1. Qui aliter intrat in locum quam per ostium, hoc est, non legitime, ille fur & latro, Joh. 10, 1.

2. Jura volunt justam causam belli suscipiendi, ne vis inferatur, Menoch. conf. 702. n. 84. Covarruv. in c. peccatum par. 2. §. 9. n. 1. & 2. de R. I. in 6. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 1. sub num.

num. 21. Nam temerè in acie versari & manū conserere cum hoste immane quiddam & beluarum simile est. Cic. l. 1. off.

3. Omnis vis tam publica quàm privata prohibita, uti tituli docent in iure.

4. Quia in iure non licitum Barbaros oppugnare & expugnare propter contemptum fidei l. Christianis. C. de paganis. c. dispar. 23. q. 8. c. Judæi. X. de judæis. c. qui sincera. 45. dist. Decius in t. 8. an quis Ecclesiam. num. 10. X. de consuet. & in c. consuluit. 29. l. 10. ff. de Appell. Oldrad. conf. 72. & conf. 264. Bocerus de Bello c. 4. n. 18. Hugo Grotius in libel. de mari lib. c. 4. Gravissimè enim peccaremus, si fidem Christi per hanc viam ampliare contenderemus, nec essemus legitimi Domini illorum, sed magna latrocinia committeremus, & teneremur ad restitutionem, utpote injusti debellatores & occupatores. Addatur Aristot. libr. 7. Polit. cap. 15. ubi inquit: non per hoc felix civitas est existimanda, neq; legislator laudandus, quòd vincere licuerit, & finitimis dominari.

Ad

Ad contraria: 1. Fall. cause. Quia habuerunt peculiare mandatum Dei, quod nostri non habent homines, sed potius interdictum.

Ad 2. Fal. conseq. Quod captum à legitimo hoste, non quem nos fecimus ipsi. Bella enim debent esse iusta, & ex iusta causa sumta, si verò vel animo amplificandi, vel ob propriam gloriam, est latrocinium. Et invasio in barbaros etiam iuri naturali contraria, Lipsius lib. 5. c. 4.

Ad 3. quia habuerunt legitimos hostes, qui sunt 1. qui vim inferunt, 2. ad res recuperandas c. Dominus noster v. si gens & civitas. 23. q. 2. Boer. decis. 178. n. 7. & tunc licitum est barbaros expugnare, quia hostiliter occuparunt, l. 3. ff. de ll. Schenck. in tit. 28. hic finitur lex. lib. 2. Feud. 3. ut pax habeatur. c. noli existi. 23. q. 1. 4. si transitum negent, Bart. in l. Christi. n. 4. C. de paganis. Nū. 21. 19. Iud. 11, 19. Raind. Cossus in addit. ad Oldrad. conf. 72. 5. ad rebelles reprimendos. Bart. l. ex hoc jure. 3. ff. de Ll. Sic David adversus Seba, 2. Reg. 20, 6. 6. si quis justitiam contumaciter spernat l. qui restituere. 68. ff. de rei vindic. Semper verò necessaria principis auctoritas c. maximi. 23. q. 3. In dubio autem presumitur ex causa iusta susceptum bellum. c. un. in prin. it. hic finitur lex. Decius conf. 691. n. 4.

Longum divortie fallax & janua vera;
Fur per posticum, qui bonus ante, venit.
Hinc spreto prothyro quicumq₃, subintrat ovile
Is fur, is latro, Christus ut ipse ait.
At quicumq₃, subire per ostia pergat ovilis
Sueta, potest ovium pastor is esse bonus.
Janitor huic aperit, vocem dum percipit huius
Ejus ovis; vocat & nomine quamq₃, suo.
Ac si quando suas emittit, ducit easdem,
Quae comitantur eum, vox quia nota vocat.
Nequaquam sed oves aliū comitantur; at usq₃
Hunc fugiunt, quia vox nō peregrina placet.
Dixit eis Iesus: certò quò cuncta sciatis:
Janua sum mandra solus & ipse ego.
Anteq₃, me cuncti fures, quicumq₃, fuerunt,
Unā latrones: audit hos nec ovis.
Janua solus ego, per me quicumq₃, subintrat,
Servatur, remeat, pascua grata capit.
Fur venit ut modo furetur perdatq₃, necetq₃:
At veni vitam reddere, multa dare.
Quaeso fuga longum fures, mitissime Iesu,
Vt tutum longum praestet ovile locum.
LANGIUS hęc repetit. Sed talia pergat!
ovili
In tali longum LANGIUS esse potest.

uti optat

GUEINZIUS.

Wen nicht so verpicht auff blinder Heiden
schriffen/
man liebe nicht zu sehr was Naso für
gebracht/

und was der Lucian/was Porphyr ausgedacht:
Dann wie die männer selbst vorlängst schon alle schiffte
hin durch Cochtens flus nach Plutons finstern klufften/
da sie benebelt sind mit einer langen nacht:
auch also wird ihr fleiß/ten man zwar nicht veracht/
nicht ewig bleiben hier/er flueget nach den klufften/
wie alles in der welt. Wen man die schriffen liebe
die Gottes selbst sind/und sich darinnen lübt/
so steigt man himmel an erhoben von der erden:
wie solches Lange thut/drum lob ich Jhu hierin
das Er in Gottes schrift versucht seinen sinn.
Er liebe länger sie/so wird Er ewig werden.

wie Jhine solches auch wünschet
sein geneigter

Johan Heinrich Andreas
von Budislin aus der Lausitz.

Artibus ingenuis studeas cum grande pa-
rare

Nomen, Amice, tibi; sic sapienter agis.

Artibus ingenuis vis est extollere spretos

Insimul ac humiles magnificare viros.

Artibus ingenuis pergas dare tempora LANGI

Sic erit & longum nomen in orbe tuum.

ita vovet

Valentinus Andreas

VELTHEMIUS.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





B.I.G.

Farbkarte #13

| | |
|---------|---------|
| Blue | Blue |
| Cyan | Cyan |
| Green | Green |
| Yellow | Yellow |
| Red | Red |
| Magenta | Magenta |
| White | White |
| 3/Color | 3/Color |
| Black | Black |

IVITIARUM
 GELICARUM
 STIVALIUM
disquisitio XVII
 PRÆSIDE
 ANO GUEINZIO
 mnasii Hallensis
 . Rectore
Respondente
 TIANO LANGIO
 ccaviensi Lusato.
ria III. Pentecostes.
 O. R. cl. Id. III.
 LLIS SAXONUM
Hæredum Melchioris
Oelschlegell.

In Unge...

